…es
Episcopus Cracoviensis

Tomborski Stanislai: Fascia lemniscata
in funere Petri Gembicki – appensa.

FASCIA LEMNISCATA

Jn Funere

JLLVSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DOMINI,

D. PETRI GEMBICKI,

Episcopi Cracouiensis,

Ducis Seueriæ.

Inter communem mærorem

Officiosissimè

PER

M. STANISLAVM TEMBERSKI,

Jn Vniuersitate Cracouiensi, Regium Philosophiæ Professorem,

Ecclesiæ Collegiatæ S, Annæ Canonicum,

APPENSA.

Anno Salutis, M. DC. LVII. Die 18. Octobris.

CRACOVIÆ,

Jn Officina Viduæ & Heredum Francisci Cæsarij, S. R. M. Typ.

5.

D. Augustin. Lib. de Nat. & grat.

SI de diuitiis & honoribus, & Maiorum nobilitate te iactas, de Patria & pulchritudine corporis, & cultu qui tibi ab hominibus exhibetur; respice te ipsum, qui mortalis terra es, & in terram ibis. Circumspice, qui similibus luxere splendoribus. Vbi sunt qui ambiebant currum potestatis? Vbi sunt qui Conuentus disponebant & Festa? Vbi ornamenta peregrina? Vbi seruorum turba? Vbi iocus & lætitia? Nonne omnia puluis & fauilla? Nonne in paucis versibus eorum Vitæ patet memoria? Respice eorum sepulchra, & vide qui seruus, & qui Dominus, qui diues & pauper. Discerne si potes fortem á debili, pulchrum â deformi. Memorare vtique naturæ, ne extollaris.

Illustrißimo & Reuerendißimo Domino,

D. JOANNI GEMBICKI

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ

EPISCOPO PŁOCENSI.

Illustrißimis & Magnificis Dominis,

D. CHRISTOPHORO GEMBICKI,

Castellano Gnesnensi.

D. STEPHANO KORYCINSKI,

Regni Cancellario.

T V M

Perillustribus & Admodùm Reuerendis Dominis,

D. ALEXANDRO GŁEMBOCKI,

Archidiacono Gnesnensi, Canonico Cracouiensi.

D. IOANNI SKARSZEWSKI,

Canonico Cracouiensi, Custodi Wislicensi.

D. MATTHIÆ PONIATOWSKI,

Canonico Cracouiensi, Abbati Tinecensi.

D. IOANNI WAXMAN,

Cracouiensi & Varmiensi Canonico.

Supremæ Voluntatis

EXECVTORIBVS.

M. Stanislaus Temberski S. & P.

MOs erat Veteribus, ILLVSTRISSIMI ac PERILLVSTRES DOMINI; ad Summorum Virorum gloriosam Gestorum prædicationem, Lemniscos condignis Elogijs oneratos, inter Serta, Coronas, Vittasq; publicis Spectaculis appendere; Fascesq; Curules, ac Palmas Victrices eisdem exornare; non alio com-

 mento:

mento: nisi ad vnumquemque Spectatorem recenti factorum egregiorum expansione, circa Virtutum fastigia adeunda anhelantem, magis ac magis accedendum, atq; manu ducendum. Mihi inter alios scriptores non postremos, infimo; eadem consuetudo (vix excusso puluere exilij Silesitici) obtigit tractanda; vt Virtutes ac res gestas, Illustrissimi ac Reuerendissimi olim D. PETRI GEMBICKI *Episcopi Cracouiensis, pro tenuitate ingenij mei, atque obsequio Sacerdotali, officiosis Lemniscis exornatas; seræ posteritatis traderem altæ memoriæ, grataeque recordationi. Promeruerunt idipsum, Præsulis de Ecclesia Dei, Regno, meritissimi; labores indefessi, curæ perpetuæ, diurnæ nocturnæq; solicitudines, iudicij maximi dotes, & admiranda Pietatis exēpla, vt non Lemniscis solum officiosis, sed gemmis ac vnionibus pretiosis,* FASCIA GEMBICIANA, *omni ex parte exornaretur. Quam si non ad cyclicam rationem Meritorum Episcopaliū, absolutissimè decircinatam, Vos Illustrissimi ac Perillustres Viri, animaduertetis; præsertim in istis locis ac temporibus, quibus & calamum aptè assumere perquàm incommodum est; affectum tamen & impensum laborem minimè condemnabitis. Neque reor laborem insumptum Vobis futurum ingratum: vt potè in quos Antistes Amplissimus, perspectam habens Vestram Fidem, conscientiam, integritatem, candorem, & in negotijs absque procrastinatione expediendis celeritatem ac industriam, aliasque innumeras Virtutes præclaras superstes adhuc, affectu & Fraterno & Paterno propensissimo ferebatur; eosdemq; è vita discessurus, iudicauit aptissimos, ad facultates Diuino munere concessas, secundùm præscriptū Piæ Voluntatis tractandas, atque ordinandas. Hanc itaque* FASCIAM LEMNISCATAM, *proferentem luci publicæ, Gestorum ac Virtutum Magni Præsulis non difformem delineationem; propensis animis excipite: meque innato patrocinio, prosequimini. Dat. in Collegio Maiori Vniuersitatis Cracouiensis, die decima octaua Octobris, Anno Domini, M.DC.LVII.*

FASCIA LEMNISCATA.

QVantum in mærorem Inclyta Domus GEMBICIANA coniecta sit, postquam conditione mortali exutus, Magnæ Memoriæ PETRVS GEMBICKI Episcopus Cracouiensis, abijt ad Supernum Mentium Beatarum Consortium; vnusquisq; isti lugubri Coronæ Hospitum Lectissimorum insertus, facile potest diuinare: præcipue conspectis Ordinibus consanguinitate, amicitiâ, societate, officio, familiaritate coniunctis, Præsuli Amplissimo vltima iusta exhibentibus. Grauem etenim sentit animi consternationẽ, Illustrissimus & Reuerendissimus Episcopus Plocensis, vnà cum Magnifico Castellano Gnesnensi: ob recessum Fratris Desideratissimi, iam iam liminibus sepulchralibus destinati. Atrox vulnus impressum cordibus mæstissimorum Nepotum; ob occasum Patrui Amantissimi: cuius præsentiâ orbati, Magnificus PAVLVS Castellanus Medirecensis; Illustris NICOLAVS Pocillator Posnaniensis, non patiuntur adhiberi medellã. Soluuntur in lachrymas Generosa GEMBICIANA pignora, ANDREAS, STEPHANVS, supremum exhibentes, Antistiti beneficentissimo obsequiũ; diemq; funebri sacrantes spectaculo, Patruum, Auunculum, Auum meritissimum, legibus vitæ vlterioris solutum, ad tumulum (quem sibi adhuc superstes erexerat) connituntur proprijs humeris deportare. Neq; potest cohibere dolorem Illustrissimus Regni Cancellarius, vnà cum Illustrissima Coniuge PETRONELLA; quæ morienti Patruo, licet extra Regnum, oculos iam gelidos clausit mæstissima. Tam pium negotium tumulandi Præsulis, indixit Tibi ô Inclyta Domus! innatus Amor, vt Pijs Manibus Antistitis, quem Virtutes Cælo asseruêre, Orbi Polono eripuere, Diœcesi Cracouiensi inuidêre, officiosam ad mortis spolium profitearis voluntatem: atq; ad Aras Diuorum Tutelarium VENCESLAI & STANISLAI litares, ipsiq; Monumento, expressis gemitibus lugubres quanquam Lemniscos, applicares. Impendis equidem debitum morti obsequium! quæ à Cathedra Cracouiensi Vigilantem, Pastorem; à Sella Curuli, Meritissimum Senatorem; à Repub. Polona, Prudentissimum Ciuem; à Clientum conspectu singularem Mecænatem abstraxit, minùs optatam suadens funebralium iustorum prosecu-

tionem. Aſt permittes ô Inclyta Domus! conceptum temperare dolorem, patieriſq; Magni Præſulis Corpori ex animi Lemniſcatam Faſciam appendere: ad Geſtorum, Virtutumq; memoriam, ſeræ poſteritati inſerendam.

Atq; vt inde Lemniſcos condignis Elogijs oneratos, Faſciæ GEMBICIANÆ appendam conquiſitos; vnde Præſul Ampliſſimus, ſpecioſa ſumpſit ornamenta: primitùs conſpectui omnium, Genus Auitum GEMBICIANVM ſubijciendum eſt, in Regno Polono clariſſimum, in Prouincijs vicinis commendatiſſimum, Domi Foriſq; Fide, Meritis, Laboribus, obſequijs, Curis, Solicitudinibus, æquè cæteris Vetuſtiſſimis Familijs, minimè poſtponendum. In hac nempe Domo, Diui illi Ataui & Abaui à quingentis annis, non fortunæ applauſu, non fatorum præcipiti errore, non eblandito populi fauore, non ambitione, non inſtructa ſuffragatione, Virtuti præmium exiſtimarunt vniuerſi quærendum; verùm euidenti candoris & obſequiorum pro Bono publico conteſtatione, Pontificum cultu, Imperatorum, Regum ac Principum reuerentiâ, in Ordinem vtrumq; quà Sacrum, quà Equeſtrem, debita animorum propenſione, cenſuerunt adeundum. Hanc orbitam Gentis GEMBICIANÆ tot ſæculis calcatam qui ignorat! aut noſtra in patria recens eſt ac peregrinus, aut nebulâ inuidiæ viſum habens obfuſcatum, more veſpertilionis Solem lucentem proſpicere demirariq; dedignatur. Prodierunt ex hac Domo Nobiliſſima Arte, Marte, Authoritate, Sapientia, Conſilio, Fortitudine, Zelo, Pietate, Conſtantia, Supremis Eccleſiæ Romanæ Moderatoribus, Inuictiſſimis Chriſtianis Imperatoribus, Sereniſſimis Regibus, Bellicoſiſſimis Ducibus, Viri ſemper cōmendatiſſimi: quorum laudes, gloriam, magnis meritis ac ſudoribus comparatam, fidelis proloquetur Chronologia. Iſti Genti Inclytæ, inſignia ſua inſculpta eſſe voluerunt Familiæ Perauguſtæ Oſtrorogiorum, Czarnkouiorum, Goſtomiorum, Glebociorum, Wierzbouiorum, Grudziniorum, Cieleciorum, Brudziniorum, Louiciorum, Smielouiorum, Samotuliorum, Grabkouiorum, Lochinſciorum, Valeuſciorum, Zychlinſciorum, Niuinſciorum, Pokladeciorum, Przyborouiorum, Krzyciorum, Oſſoliniorum, aliarumq; Familiarum Præſtantiſſimarum decora, eo euentu; vt Auitis Virtutibus GEMBICIANIS ſuffulti, in vtroq; Fortunæ luſu nobiliùs inclareſcerent. Virtus, etenim Gloriæ veræ eſt Mater: quâ populi etiam remotiſſimi ad ſocietatem vitæ mirabiliter alliciuntur, ipſiq; hoſtes, & faſtuoſi oſores rectè factorum alienorum, ad ſaniorem reuocantur frugem, & inuiti in Virtutis amorem rapiuntur: cui dum perfecta omnibuſq; numeris abſoluta eſt, condignus nequit deferri honor. Porrò in adeunda aut comparanda Virtute, quantæ moleſtiæ ſuperandæ? quot calamitates, ſudores, dolores tolerandi! quot pericula, diſcrimina non modò fortunæ ſed etiam Vitæ, magno excelſoq; animo perferenda ſint! bellicoſiſſimus ſimulq; lacertoſiſſimus Hercules agat oratorem: qui abiecit conſtantiſſimè Voluptatis latam Viam, Floribus contectam

tectam, planam, facilem; sed ad ignominiam leniter declinantem: Virtutis autem semitam arduam, strictam, glabrosam, spinis & vepretis stratam gressu difficilem; censuit optimo consilio eligendam. Nec temere. Qui etenim mortalium vera Virtutis Vitæq; irreprehensibilis posesione frui cupit, contemnet facilè voluptates, humanas spes despiciet vti fallaces, vitam aspernabitur otiosam, timere vulnera, turpe ac ignominiosum decidet firmissimè. Consederunt in stirpe GEMBICIANA Nobilissimæ Virtutes, à qua Deo destinante prodijt PETRVS GEMBICIVS, Claros sortitus Natales, ex Illustrib⁹ Parentib⁹, IOANNE GEMBICKI Pocillatore Posnaniensi Gentis Naleciorum: & CATHARINA Cielecka Gentis Zarembarum: à quibus Generosam indolem Virtutum primariarum satu pulchro dotatam, hereditariâ sorte vnà cum Fratribus accipiens; decenti ingenuoq; semper adhærebat, honesto: ne Militari sudore partam Familiæ dignitatem, relinqueret neglectam. Pater namq; aperti pectoris, candidiq; officij Vir, belli pacisq; instrumenta tractans, cum omnibus amicitias colebat interruptas minimè, discordiæ ac litium expers, animum in subditos clementem, in calamitosos munificum, in ignotos pariter ac notos satis hospitalem gerens: cuius Hospitalitatem circa tenue illius æui Salinum, STEPHANVS Rex Poloniæ, ad Gedanenses in obsequio retinēdos progrediens, demiratus subintulit: Instructiorē habere Tabulam GEMBICIVM ruri, cum honestate; quàm Capitaneum Grodnensem cum amænitate. Iam autem in egressu Regis; Filios tenellos præsentanti, eosq; ad Regia seruitia postquam adoleuerint resignanti GEMBICIO, Rex prudenter admodum respondit: Nobili è vite, Vinum generosum sperandùm! nisi deputetur. Quo dicto admonuit Rex GEMBICIVM: Excolendos esse animos liberorum & è rudimentis naturæ ad absolutā Virtutis perfectionē limâ honestæ eruditionis quasi manu ducendos primùm, tandem ad Aulam dirigendos. Ea propter Illustres Parentes, animorum cultu ram in Filijs negligi nequaquam permittentes, suadente ætate PETRVM, ad Generale studium Regni, nempe Cracouiensem Academiam direxerunt, insignibus Professoribus ANDREÆ SCHONÆO, IOANNI KLOBVCIO, & IOANNI BROSCIO commendatum: à quibus posteaquam disciplinis humanioribus enutritus, in solatium certissimum Parentum excreuisset; ex consilio Patrui LAVRENTII GEMBICII EPISCOPI protunc VLADISLAVIEN. relegatus ad florentissima Italiæ Gymnasia, scientiarū optimarum fructus lustraturus: vt Virtus innata, quæ sine literario cultu rudis & inuenusta est, etiamsi præclaros impetus à natura sumpsisset, tamen doctrinâ peregrina, vti nobiliore perficeretur.

Porrò in reditu ex Italia à Patruo Amantissimo, ad dignitatem Sacerdotij pertrahitur; qvâ initiatus ob Iuris ac Theologiæ notitiam, à Serenissimo Rege SIGISMVNDO III. inter Secretarios Curiæ erat Wolborij co-

optatus: in quo gradu recenti, assiduo Principis obsequio certans, industriâ, fidelitate conspicuus, aditum sibi aperuerat ad Decanatum Cracouiensem prehendendum. Mox authoritate Amplissimi Capituli Cracouien. quod certissimum Seminarium Episcoporum perhibetur, ad Regni Iudicia Tribunalitia deputatus Iudex. In augusto Tribunalitij honoris Subsellio collocatus; sciens *Sacerdotale Cor esse arcam Iustitiæ:* nil nisi ex veteri Iudiciorum disciplina agendum sibi proposuerat: non modo Causis, sed ne legibus quidquam laxamenti tribuens; religiosè semper hoc vnum spectabat, vt Iudiciorum remedijs, rebus & fortunis Ecclesiarum lapsis subueniretur. Nouerat se in illum campum, non ad auream messem, sed ad oppressorum tuitionem fuisse destinatum: qua de causâ sæpius ingeminabat Collegis suis; *Consilio non impetu opus esse; circa Causas cum æquitate ponderandas;* quandoquidem Vis consilij expers, mole ruit suâ. Tanti officij Petricouiæ ac Lublini, quo cum laude functus est, tempore exacto; ex voluntate Patrui, LAVRENTII GEMBICII Viri de Ecclesia & Repub. meritissimi, iteratò perrexerat in Italiã, Sacra Apostolorum Limina visitaturus; Vniuersalis Ecclesiæ Claues tenente PAVLO V. inibi maiora præsidia, ad obeũdas cùm Sacras tum Ciuiles in patrio solo functiones, conquisiturus. Mehercle; Vrbem illam adire Virtutum omnium Sedem; salutare Limina Apostolica, quib⁹ nil sanctius! perspicere Rempub. quà nulla bonis exemplis ditior! spectare ritum Christianæ pietatis, & sacrarum ceremoniarum leges iudicia; decreta, Diuinis oraculis simillima! Consilia Principis in orbe terrarum Senatus purpurati penetrare; plurimum ad Ecclesiæ rectam gubernationem conducit. Inde profluit Latialis facundiæ puritas, ex ipso fonte hausta, omnium linguarum interpres ac manuductrix! tam ad Heroũ conciliandas amicitias, quibus Romanum Imperium abundat; quàm ad Legationes obeundas, quæ difficillimorum motuum fluctus componunt, pacem constituunt, bella prudenter intimant! aliasq; id genus Politiæ artes exoptandas opportuna adferens subsidia. Eo in loco intellectu ac delectu rerum, quæ publicè priuatimq; fugiendæ sunt aut appetendæ instructus, in Vrbe Vrbium Principe residens GEMBICIVS; stimulante Patruo per Literas frequentes, apud Sacram Sedem, Audientiam publicam comparauit sibi, ad exponendum Statum VLADISLAVIEN. Diœcesis, tum ad afflictiones Patriæ hostili furore, domesticis armis, graui fame oppressæ, Patri Beatissimo edisserendas luculenter. In quo munere tractando, ob consessum Senatus Purpurati, Curiamq; Pontificiam frequentissimam, non titubauit vnquàm GEMBICIVS; quinimò indole Heroicâ & gloriâ Polonâ obfirmatus, Actum illũ celebrem ita perfecit, atq; in oculis, PAVLI. V. voce, vultu, grauitate, dicendi Maiestate, Oratorem Latinum, non cerussata, sed solida literaturâ, circa enarrandum negotium Patrui expressit; vt non Nepos, sed Patruus ipse constitisse Romæ crederetur. Peracto

laudabi-

laudabiliter Patrui negotio, Poloniſq; magno nomine comparato, paucos intra dies recens aduolauit Fama, referens ArchiEpiſcopatus Gneſnenſis præeminentiam à Victorioſiſſimo Rege Poloniæ SIGISMVNDO III eſſe collatã propenſiſsimo affectu Regio, LAVRENTIO GEMBICKI, eò quod in magna Regni neceſſitate, vniuerſam fermè velut alter Ioſeph temporanea munificentia paſceret Ægyptum; cui aliquando priuatos reditus, ad publicos populi vſus conuertenti, memorabilis præconij voce acclamatũ eſt: *Pater neceſſitatis, paſce ſufficienter.* Tali nuncio exhilaratus PAVLVS. V. laudauit Regis prudentiam, quòd Paſtoris boni Vigilantiam, non poſtrema Eccleſiæ & Regni dignitate decoraſſet: ſimulq; inuitato PETRO GEMBICIO ad colloquium paternum, officium deferendi Pallij Archiepiſcopalis eidem impoſuit, ut redux Patruo, Pontificiam propenſionem publicè conteſtaretur. Tali paſſu ex animi ſententia confectâ peregrinatione, in Patriam reuerſus, in Regni Comitijs, obtentum Romæ Pallium, publicè Patruo Archiepiſcopo Gneſnenſi, ſermone eleganti reddiderat. Conuerſa omnium ora utriuſq; Ordinis Senatorum, in Nepotem Donarium Pontificium Patruo exhibentem; ipſiuſq; Regis ſuſpenſi erant oculi, copioſè diſſerente PETRO, de inſigni Beatiſſimi Patris affectu; de grauiſsimo Maieſtatis Regiæ iudicio, de promeritis Patrui in Patriam: quòd cum diſertiſſimè à Nepote vidiſſet peractum, in luce Reipub. in auguſtiſſimo Regis & Senatorum conſeſſu, præ gaudio collachrymaſſe viſus eſt Patruus, quod coram gloriæ GEMBICIANÆ heredem videret, ad labores pro Repub. adeundos futurum Fidelem ſucceſſorem. Nec multò poſt, à Patruo in Cancellarium adſcitus PETRVS, grauiſſima eius negotia apud SIGISMVNDVM Regem ſæpius ſibi commiſſa feliciſſimè confecit, vbiq; prudens, & rebus maximis par. Vacabant per id tempus bina ampliſſima Regni Cancellariatus officia: quorum alterum Zolkeuio Duci Generali Exercituum, alterum Lipſcio Epiſcopo Luceorieñ. extra Regnum iam inter Suecos, iam inter Moſchos commoranti, & inde properè euocato, collatum eſt. Verùm Rex æquus, morarum in talibus officijs vacantibus impatiens, Virtutum & ingeniorum ſummus arbiter, PETRVM GEMBICIVM ob egregias animi dotes, ſibi gratum dignum cenſuit, cui Regimen Vtriuſq; Cancellariæ conferret. Obiuit ille egregiè collatum ſibi munus, eâ fide, diligentiâ, ſolicitudine: vt nec labor, nec vigilantia, nec fidelitas in eo munere dextrè & grauiter obeundo, requireretur ab eo vnquam. Hinc maximis in Rebus agendis exercitatus, & iudicium Prudentiſſimi Regis meruerat, & ad magnos honores aditum ſibi patefecerat, nihil agens quod eum Magnum aliquando futurum non exhiberet. Vicerant eâ tempeſtate Reipub. Vigilantiam, iniqua fata: dum Oſmanus poſt cladem Exercitus noſtri victoriâ elatus, ingentes copias & totam potentiæ ſuæ molem, ad Chocimum Caſtra locans effuderat, cuius conatibus ſuperbis SIGIS-

MVN-

MVNDVS Rex, Principem VLADISLAVM Filium, cum expedita militum manu, Chodkieuicio & Lubomirſcio aduigilantibus, oppoſuerat; eundem mox totam Nobilitatem ſecum trahens, inſecuturus. Expeditionis Regiæ PETRVS GEMBICKI Comes fuit, ardua quæq; in itinere mirâ felicitate conficiens, iam Coſacos, iam Valachos, iam Moldauos, ipſoſq; Tartaros, reſcriptis priuatis, ad partes Regis inuitans. Cæterum firmatâ præter opinionem omnium ad Chocimum pace, ab expeditione Turcica redeuntē Regem, bellum nouum excepit. Quippe ad Orientem pacatis rebus, alterum Patriæ negotium Septemtrio faceſſiuit: GVSTAVVS enim ADOLPHVS, alieni inuaſor Regni, extra Imperium ſuum arma proferens, durantibus inducijs primò, & Rege SIGISMVNDO contra Oſmanum profecto, Rigam doloſè per traditionem cepit; tum alia Oppida Liuoniæ & Arces, minimè reſiſtentibus Officialibus & Præfectis occupauit. Deinde ſequenti anno Pruſſiam inuaſit, occupatoq; Pilauienſi portu, ſubitâ belli tempeſtate totam Prouinciam inuoluit. Nec denunciato bello aperto, Branſbergam, Elbingam, & Mariæburgum ceperat, dum SIGISMVNDVS cum Exercitu obuiam proceſſit, vbiq; prædas agenti GVSTAVO. Spes tamen non decepit Regem, nec fefellit euentus: feliciter namq; itum eſt: ſubmotus hoſtis, nec vltra Derſauiam, paratos Polonos videns, progredi auſus eſt. Comitabatur Regem PETRVS GEMBICKI magnoſq; labores & curas, quas abſentia auxerat Cancellariorum indefeſſus agendo ſolus ſuſtinuit. Eandem dexteritatem & altera Expeditione probauerat, ſemper idem, & æquali vitæ tenore per omnia conſonans ſibi. Hic vitæ curſus, cum muliebrem in Aula potentiam, & quorundam Religioſorum factionem offenderet (quippe innatum eſt inuidis ſpeciem ſplendoremq; vitæ conſpicuæ intueri, ſolicitudinem verò & laborem non perſpicere) fortunâ GEMBICII, quam probis actionibus ſibi accumulauerat, retrocedere viſa eſt. *Sic Virtutis liuor! ſic lucis, vmbra Comes eſt: nemo ſine inuidia clarus, nemo ſine æmulo felix.* Vt militem vulnera ornant, ſic bonum Ciuem aduerſa, auguſtiorem reddunt. Soli illi qui in obſcuro vitam degunt, ut Virtute, ſic inuidia carent; nec quem ob egregia animi bona amauit Princeps, diu odiſſe poteſt. Gratioſi enim tantum, vt gratiam citius accipiunt quàm merentur ſic rarò aut nunquam in amicitiam cum Principe redeunt, dum ſe indignos amaſſe comperit. At PETRI GEMBICII Virtus repulſæ neſcia; clarior velut ab attritu aurum emicuit, Legationibuſq; ad Conuentus Palatinatuum, & bina Epiſcopatus Cracouienſ. Adminiſtratione ſpectata, altioribus ſe honoribus dignam exhibuit, pari veſtigio in vtraq; fortuna, ſtans immota.

Obijt interim Regina CONSTANTIA; nec multò poſt Rex SIGISMVNDVS; quaſi vtrumque fata iterum coniungerent, cælo redditur. Succeſsit per Electionem Paternæ ſtationi VLADISLAVS Rex: in quem non tantum

non tantùm Fortuna, sed & ille erga omnes Patris amor transiuit. Memor namque præstitorum sibi à GEMBICIO obsequiorum; memor Patrui Archiepiscopij, in ornando Nepote; gratum se exhibuit PRINCEPS. Nec diu Regium erga PETRVM passus est differri affectum; ipsis enim Comitijs, quibus Diadema Regni adeptus est, Supremi Secretariatus munere GEMBICIVM insigniuit, cæteris frustra eundem honorem ambientibus. Datus amplissimæ dignitati Vir, ex ijsdem Comitijs ad FERDINANDVM II. Imperatorem Legatus mittitur, Inaugurationem felicem significat Regis, pacem cum hostibus nomine Regio suadet, Reipublicæ Polonæ operam, hoc in negotio pollicetur. Annuit CÆSAR magnis turbinibus bellorum inquietatus, sed rem ad Consiliarios defert, quos GEMBICIVS adijt: & Valstenio, penes quem erat tum Rei Bellicæ summa; Regiæ Maiestatis desideria exponit, nec à pace abhorrentem inuenit. Maximi erat consilij & momenti negotium, Orbem pacare, qui adeò tum bellis ardebat; vt grauiora nec ipsi Christiani nominis hostes, potuissent imprecari. Tanto munere PETRVS GEMBICKI summa cum laude est functus; iamque in sententiam Regiam, Imperatoris, & Consiliariorum animos traxerat; cum interim à Denhoffio Palatino Parnauiensi, componendæ quoque pacis causâ, à Rege ad Dissidentes de Religione Principes misso nunciatur; nondum Regibus per tædia & moras bellandi cupidinem euanuisse: nec velle eos vlla ratione, pacis conditiones acceptare. Ita plerumque magnos & pios conatus, è transuerso occulta fatorum vis impedit, citiusque praua, quàm bona consilia euenire solent. Quare cum nondum lacerato continuis bellis Christiano Orbi, Hæresis missionem daret, & à plerisque oleum potiùs ad hanc flammam conferretur, non ampliùs Regius Legatus, desperatam pacis causam egit; attamen accepto à Valstenio responso, Pragâ abijt. Cum verò Olomucium transiret, obuium habuit Imperatoris Legatum, qui expositis Regi VLADISLAO, quæ Pragæ & Orcinæ acta sunt, Viennam ex Polonia redibat. Interim PETRVS GEMBICKI Cracouiam properans, Regem in Moschouiam est subsecutus, totique Expeditioni interfuit. Exarserat protunc cum Moschis bellum, post ruptam iuratam pacem, ad quod conficiendum, non diu morata Custodem Imperij sui Patria, VLADISLAVM Regem, protinus misit. It ille imperterritus, & Gentis quam adierat ferociam compescuit docuitque, qualibus pænis periuria sint compēsanda. Redijt Victor gloriosus, præsentia pacis bona, Reipub. sine damno adferens. Spectator erat Regiæ Fortitudinis GEMBICIVS, curarumque Castrensium particeps, nec periculi exsors. Confectâ felicissimè expeditione Moschouitica, reuersusque in Patriam Rex Comitia indixit; & mox contra Turcam expeditionem, Exercitu præmisso parat. Verùm enim uerò quis audeat ampliùs Fortunam Principis tentare! Nec ipsum fatale Regnorum Sidus splendori Moschouiticæ Victoriæ, tenebras effundere potuit. Lin-

tuit. Linguis edoctus Turca, Victorem cum exercitu Regem propiùs accedentem; tempestiuè pacem firmauit, papilionesque Ottomanicos fastu armorum impletos, deposuit; mancipatas Gentes suas trahens in fœdus perpetuum. Sic maximum bellum incruentâ Victoria, sola tantum Nominis Regij fama, constitit! In hac quoque Expeditione, principalium onerum adiutorem, in omnia habuit GEMBICIVM, vti Supremum Secretarium Rex. Iamque attigerat Varsauiam respiraturus, cum nouum bellum à Suecis, cum quibus sexennales induciæ initæ erant, immineret. Igitur prudentissimus PRINCEPS nec Victorijs elatus, nec felicitati fidens, tempestiuè belli necessitatibus prouidit. In Prussiam Regalem mouit; mox in Ducalem transiens, omnia cautissimi Ducis munia obiuit. Nobilitatis animos in partes suas traxit; transitus hosti præclusit; præsidia Arcibus imposuit, noua propugnacula extruxit; nihil imparati reliquit, quod impetum hostilem moraretur. His ita, comite Secretario PETRO GEMBICIO, officium absentis Cancellarij, summa cum integritate per id tempus tractante, confectis; Varsauiam Reipub. negotia ordinaturus aduenit. Maior tunc erat Principis erga GEMBICIVM affectus, quàm vt vllius inuidia conuelli posset. Quapropter amplissimis dignitatibus eundem destinat, nec multò post, morte ALBERTI Principis, Cardinalis subsequente, & IACOBO ZADZIK Cancellario, in Episcopatum Cracouiensem assumpto, THOMÆ verò ZAMOYSCIO Sigillo Maiori collato; GEMBICIO Regni Secretario Minus Sigillum in Comitijs, Generalibus detulit Rex Beneficentissimus; & intra octo dies (quam celeres sunt virtutis gradus) Premisliensi Episcopatu insigniuit. In tam sublimi dignitate collocatus GEMBICIVS ita se gessit, vt nihil ex eius summis laudibus exciperetur. Summa fuit eius in Iure dicendo auctoritas; in audiendo facilitas, in decernendo lenitas, & vt plerumq; simulationum inuolucris tegitur animus vniuscuiusque, in illo apertus fuit. Beata prædicabatur per id tempus potestatis & sapientiæ coniunctio; florebat Principis Aula, dissipatis Hæretici connubij consilijs. Auspicata regnabat inter publicas res quies; vt felicior nec voto quidem fingi posset. Cæterum quia nihil summum diu consistere potest, ZAMOISCIVS Cancellarius triennio exacto, vitâ functus est: in cuius locum GEMBICIVS Vicecancellarius suffectus, Patriæ turbatos oculos morte Amplissimi Ciuis, Virtute sua refecit. Quare delatum ad se officium, tanta cum dexteritate administrauit, vt eum aliquando summis rebus in Aula præfuisse, nec ipsos inuidos, pænitere posit. Emergebant per id tempus plerique, quibus maximè intererat, Patriam turbari, Libertatem imminui! hæc omnia GEMBICIVS Regni Cancellarius prudenter dissipauit, Regis Maiestatem, Ciuium libertatem defendit, neminem læsit, omnibus profuit. Quot ille tum nouorum incendiariorum faces extinxit? quot pericula submouit? non memoria nobis, sed oculi in testimonium vocandi sunt.

candi sunt. Quàm forti animo Schismaticorum seditiones, in Premisliensi Cathedra constitutus compescuerat? loquantur illi, qui ad veram Matrem Romanæque Fidei obsequium accesserunt, proiectis pertinacibus erroribus.

Reuocauerat ille ante omnia Clerum ad Pietatis regulas, vt ita Ordo Sacer, vitæ integritate & prædicatione Salutari, institueret populum rudiorem; ne exemplis prauæ operationis Pastorum, totus grex sensim inquinetur. Tali progressu cultoribus rituum Græcorum, persuasit exoptatum ad Ecclesiam Romanam regressum; quos à temeritate ad obedientiam, ab erroribus ad veritatem postliminio redeuntes, tuendos ac fouendos commendauit vniuersis, iam Regi, iam Senatui: vt quos benignitas cælestis ad viam reduxit veritatis, eos iniuria & vis aliena, non audeat à proposito firmo auellere.

Rarum istum Pietatis ac Religionis promouendæ Zelum VRBANVS VIII. Pontifex, Breui Apostolico, ad PETRVM GEMBICIVM comprobauit, & commendauit; vt animum heroicum contra quæuis obsistentia infractum retineret, magnam gloriam in Ecclesia Dei consecuturus.

Hinc ille blasphemus Vnitarius, qui inepto scripto Sanctissimæ Triadis temerauerat honorem, ad instantiam GEMBICII, & aliorum Coëpiscoporum, à VLADISLAO IV. fulmine infamiæ & proscriptionis ex Regno percussus est, vnà cum suis sequacibus directis ac indirectis; Scriptum autem impium flamma expurgatum est, pænis debitis assignatis in impressores ac porrectores. Neq; possum silentio inuoluere insignem GEMBICII prudentiam, (circa illos Zelosos Iudaismi & Acatholicorum extirpatores, qui crimine securitatis publicè violatæ, per Scrupulosos nimium delatores indigitati, magis statum quam fatum Religionis prospicientes) quando Principi suasit, ne incapaces pænarum, Seueris legum edictis coërceantur, sed ad suos domesticos animaduersores remittantur, totâ origine tumultus in querulantes aduersarios reiecta. Euectus tandem laboriosissimis gradibus ad Episcopatum Cracouiensem, fauore VLADISLAI IV. Regis; quanta solicitudine in propagando Cultu diuino certauerit, statim à suo ingressu Vigilantissimus Antistes! nemo est qui labellum Harpocraticũ assumptum esse velit. Etenim ad Clerum leniter corrigendum Synodum instituerat; Inquisitores ac Censores, ad Confessarios probos, & Prædicatores prudentes deligendos ac approbandos designauerat; Viros insignes ad consilia arcana sæpius inuitauerat; cupiens vt Dioecesis Cracouiensis primaria, vndiq; Virtutibus clarissimis splendescere queat.

Iam verò ad illud Colloquium Torunense tractandum, ex VLADISLAI Regis voluntate piâ, proclamatum; Solicitus Pastor CHRISTOPHORVM SAPELLIVM Canon. Crac. IACOBVM VSTIENSEM, IACOBVM VITELLIVM S. Th. Doctores: tum HIERONYMVM CYRVS Carmelitam Discalceatum, publico illi Certamini quanquam Charitatiuo destinauerat; vt argumentis euidentibus conuicta Hære-

uicta Hæresis, tenebrosam viam derelinquat, atq; abiectis armatis rationibus, pacatam FIDEM Vnam, Sanctam, Catholicam, tandem aliquando amplectatur: iamq; dubio procul optimum propositum optimo euentu fuisset coronatum, nisi inuoluti falsitatibus suis Acatholici, vlteriorem decisionem in commodius tempus reiecissent; atque ad superiores status recursum fecissent. Post immatura autem fata Serenissimæ Reginæ CÆCILIÆ RENATÆ, coortam illam blandam, incautam, & iniuriosam persuasionem, circa Connubiale fædus exoticum, & irreligiosum quærendum; summa magnanimitate improbauerat GEMBICIVS Regium propositum: per omnia iura sacra obsecrans, ne supremos & Sanctissimos Regni Fasces hactenus innocentiâ & Fide incorrupta florentissimos, specie connubij irreligiosi temeraret Rex, sed vota sua aliorsum diuerteret, vbi Religio integra vigeret. Verebatur namque Magnus in Republica Senator, ne specioso prætextu connubij, Ecclesiæ Sacrosanctæ, & Patriæ conuellerentur iura; & ne priuatæ paucorum res, consilijs & legibus publicis officerent vnquam. An non magnanimi pectoris signum illud fuit! dum GEMBICIVS Episcopus Cracouieñ. & Regem, & Iudices Regni Tribunalitios, literis suis compellauit! vt in illum vesanum hominem, seueris pænis animaduerteretur; qui Prossouicijs ad Conuentum Nobilitatis, ardore cultus Catholici inculpandi, erga Deiparam Virginem, Imagini eiusdē scelerato ferro cicatrices ac vulnera inflixerat! Profectò non abijsset impunè crimen perpetratum, nisi Herus impius, pessimi consilij dissimulator, famulos impios tanti facinoris reos, consulto à pænis seueris irrogandis subduxisset; quorum statuitionem periurio suo euasit. Neq; illa animadversio atrox, Cracouiæ in scholares attentata, precibus fuisset mitigata Dissidentiū, præsertim instante fortiter GEMBICIO apud Regem VLADISLAVM nisi vanissimis terriculamentis cessissent illi, quorum intererat, & profanationem Ecclesiæ vindicare & homicidia perpetrata Seueris eluere pænis. Frequētiùs ingeminabat Præsul Magnanimus, illud Romani Philosophi effatum: *Vbi non est pudor; neq; Cura iuris; sanctitas, pietas, fides. Instabile Regnum est.* His enim quinq; neglectis Virtutum Symbolis, non potest illud aureum Monitum subsistere: *Iure ille Deo proximus habetur, per quē Maiestas Diuina vindicatur.* Ea propter prudentissimus Præsul GEMBICIVS, in Testamento suo apposuit tale Monitum. *Charissimos Fratres & alios sanguine iunctos hortor ac moneo; vt Religionis Catholicæ Studium à Maioribus nostris hucusq; propagatum, seruent & custodiant illibatum; suisq; posteris facem velut accensam, Zeli ac Pietatis præferant. Regum Maiestatem ac dignitatem religiosè colant ac tueantur; Bonum Reipub. eiusq; libertatem, à qua salus & integritas priuatorum dependet Ciuium, ita promoueant; vt Diuini iuris & Ecclesiasticæ immunitatis authoritas illæsa, & inuiolata permaneat.*

Inde vnicuiq; etiam inuido, aut non benè sibi in rebus Fidei cohærenti

colligere

colligere liceat, quanto Zelo, quanta pietate, quanta magnanimitate ferebatur PETRVS GEMBICIVS ad Religionem Catholicam omnibus viribus promouendam! quanta obseruantia Regum certauerit semper, absq; adminiculo diffidentiæ! quanta propensione promouerit bonum Reipub. ad vltimam vsq; viuendi stationem. Cum enim VLADISLAO IV. Rege Victoriosissimo moriente, stupor vniuersos inuasit ob rebellionem Cosacicam, cruento admodum Marte cum Exercitu Regni tractatam: tempore Interregni ad Seditiones aptissimo, Solicitus Pastor è vestigio indixerat, Numen Diuinum placandum per totam Diœcesim, vt Deus præpotens domesticos hostes auerteret, Regemq; pium ac fortem, in pacato rerum statu inaugurari permitteret, cupiens à Deo ordinatum Principem quamprimum salutare. Eam ob causam processerat in magno comitatu ad tempus Electionis, non parcens sumptibus, curis, vigilijs; vt hostem communem in viscera Regni tyrannicè progredientem, remouere & ad saniorem mentem reuocare, celerior daretur facultas. Hinc protracto bello citra opinionem omnium, submiserat aliquot Centurias peditum equitumq; armatas; easq; regimini Ducum resignauerat, in votis habens, vt patriæ ardore domestici belli flagranti, velociter esset prospectum. Inaugurato autem Serenissimo IOANNE CASIMIRO Fratre VLADISLAI in Regem Poloniæ, è vestigio Septingentos pedites armatos, quos tempore Interregni in Sede Regni Vrbe primaria, bono publico adhibuerat, Regio peditatui adiunxit; Hastatamq; Equitum cohortem, per Illustrem HIERONYMVM GRABINSKI, ad sistendos rebellium crescentes impetus, censuit educendam. Cum tamen Martem reluctantem superare non esset fas; iterum ad Zborouum, militiam ære proprio conscriptam transmiserat, desiderans seditionem coortam sopitam intueri. Ast de anno in annum recrudescente bello, postquam Serenissimus CASIMIRVS Rex in persona sua, cum Nobilitate ad Berestecenses vsq; campos progressus esset; etiam tum signa GEMBICIANA producta, ne Regi Vigilantissimo adlaboranti, in hoste bino compescendo, deesse videretur. Hocce ferme tempore, postquam seditiosus homo iam Kostka, iam Napierscius nominatus, confictis Diplomatibus, Arcem Czorstinensem intra montes sitam astu & dolo occupauit, rusticulosq; montanos ad communem prædam Cracouiæ primitùs attentandam inuitauit, postmodum ad Curias Nobilium, Templaq; inuadenda processurus; GEMBICIVS præcipuam custodiam in Vrbe Cracouiensi tenens, coactis peditum equitumq; turmis, accitâ Nobilitate ex Ducatu Seueriæ, tumultuantis plebis initia suppresit principalemq; seditionis, legum patriarum rigori subjiciendum conclusit. Iam verò inuadente Sueco Regnum Poloniæ, varijsq; pollicitationibus Nobilitatem incautam, in fauores artium dolosarum pertrahente; mouendum Cracouiâ censuit quanquam in senili ætate; relicto ALBERTO CZEVOIOVIO cum

 quadringentis

quadringentis Sclopetarijs, ad comunem propugnationem Vrbis designato. Cernens tamen præcipuos Senatores ad vicina Dominia progredi, Suecis iam Casimiriæ mænia lustrantibus; suasit primarijs Ecclesiæ Cathedralis Prælatis decorem Domus Dei subducendum; atq; sanitati suæ prouisurus, voluntarias exulandi rationes suscepit, in egressu Vrbe lachrymis obortis, quòd armis oscitantibus, grauis Ecclesiæ Dei hostis reprimeretur. Nouennali itaq; conatu, Ductoribus non postremis Exercituum exturbando hosti quadruplici attentis, nunquam defuit GEMBICIVS Patriæ amantissimus; quinimo, Zylicium Episcopalem Centurionem veteranum, cum peditatu ad Castra direxerat; rursusq; ante fata Donatariòs ad arma tractanda non ineptos, adiunctis peditibus gubernationi Illustrissimi Regni Marschalci tradiderat, cum recentibus armis. Verum enimuero ob innatam Munificentiæ vim, non alijs fundamentis incolumitatem Reipub. securius promotam existimauit Optimus Senator ac Antistes, quàm aureis liberalitatis basib⁹; quib⁹ veluti columnis marmoreis, suffultam atq; illustratã fore frequentius decernebat. Quid illustrius ad gloriã & perennitatem præstare poterat! quàm in publicis patriæ necessitatibus profundere magno sudore partas fortunas, ex quibus etiam instruxit priuata Nominis immortalis relinquendi gratiâ, sumptuosa satis decora. An non Aulam Episcopalem Cracouiæ sitam, à Prædecessoribus minus aptè exædificatam, ad Symmetriam reuocauit? picturisq; sumptuosis, marmorib⁹, varijsq; alijs ornamentis repleuit? idq; non tam sibi commodioris gratiâ Residentiæ innouandæ quàm Successoribus à Deo Opt. Max. præordinatis relinquendæ. An non extra Vrbem Promnicensem Curiam ruinis oppletam, vti à multo tempore neglectã, reædificari magnis impensis curauerat? Vt Successores pertæsi in Vrbe mansionis continuæ, extra Vrbem ad Salubrem auram hauriendam commodum haberent reclinatorium: nisi hosticæ securitati obfuisset boni Patrisfamilias erectum ædificium. An non Cœnobium S. Michaelis Carmeliticum ad debitam inhabitationis Claustralis formam reuocauerat? cui loco ita addictus erat Præsul probus; vt sæpiùs cum Fratribus Familiæ Sacræ Teresianæ pranderet, cænaret, de salutaribus negotijs colloqueretur, Exercitia pia quolibet anno inibi sub tempus Quadragesimale tractans; nec tantùm Fratrem Desideratissimum ANDREAM GEMBICIVM Episcopum Luceoriensem, illi Ecclesiæ in pignus sui amoris, relinquens tumulatum; sed etiam Nepotem LAVRENTIVM GEMBICKI Eremicolis Carmeliticis, tradens ad extremum Mundi terminum conseruandũ. An non Reuerendum olim SIMONEM STAROVOLSCIVM ob laboriosam elegantioris Literaturæ spartam, scriptorum multitudine, varietate, excellentiâ, cum summis quibusq; Sapientiæ Proceribus comparandum; amplissima Canonicatus Cracouiensis dignitate honorificentissimè insigniuit? cuius tota Europa demirata est labores,

bores, pro Ecclesia Dei, & Repub. Polona indefesso pectore susceptos, pluries Sacris Apibus Barberinis inscriptos ac dedicatos. An non Domus Dei Præpotentis diligens decorem, Altare Maius in Basilica Cathedrali Cracouiensi magnificè erexit! atq; reconditoria Sacrarum Reliquiarum, fuso argento affabrè elaborata produxit, ad quarum ampliorem splendorem, Statuas grandes eiusdem metalli, cultui Sanctorum Tutelarium, applicari curauit. An non Episcopalem splendidam supellectilem Cathedræ suæ, alijsue quas olim moderabatur, donationis iure perenni inscripsit? vt Sacrorum Capitulorum posteri, GEMBICIANÆ munificentiæ conseruarent diutissimè recordationem. An non deniq; post deprædationem Suecicam, expressa vltimâ voluntate Præsulea, suam testatus est erga Diuum STANISLAVM debitam obseruantiam! dum perpetratæ spoliationi per nefarios Suecos in Tumba argentea, à Serenissimis Regibus SIGISMVNDO ET VLADISLAO, singulari Regni Poloniæ Diuo Tutelari dicatâ, ad vsus profanos ne dicam impios conuersâ, Pius Successor post DIVVM STANISLAVM in ordine Episcoporum Quadragesimus nonus, voluit esse consultum: ne sacri Cineres Martyris Gloriosi denudati spoliatiq; sine repositorio honorifico retinerentur. Taceo pro Pænitentiarijs ac Seminaristis Cathedralibus, Heroicam auctionem! quâ Pontificio olim Summo Pœnitentiario instituto, Fidelium atq; Ecclesiarum commoditati exoptauit esse prouisum. Prætereo pretiosa Donaria! ordinata affectu plusquam Pastorali, ad compensandum in Ecclesijs Sacrum nitorem, quem furor, Suecicus, Rakocianus, Kosacicus, Valachicus, partim flammis ineuitabilibus absumpsit, partim impiâ manu ereptum ac subductum violenter, ad angulos Transiluanicos, Russicos, Suecicos, exportauit. Non commemoro Sepulchrum, magnifico opere Mortis tempestiuæ meditationem explicans! quod Præsul prudentissimus, *Nec viuere recusans, nec mori timens;* memor resolutionis tandem aliquando futuræ, ante triennium in Cathedrali Ecclesia è regione Sepulchri MARTINI SZYSKOVII, erectum, & proprijs, & alienis subiecerat oculis; diem Anniuersariam obitus sui, magno ære constituens obeundam. Maluit namque adhuc Superstes exædificare domunculam, in qua ad vitæ ac profectus sui rationes vigilans, non minùs ob imbecillitatem valetudinis, post graues & diuturnas in Repub. tum continuas in Ecclesia Dei curas, quotidiè fatiscentis; viam vniuersæ carnis ingressurus, ad portumque certissimum vela mortalitatis applicaturus; attenderet commodè, citra distractionem, quam plerumque mors in limine stans, vniuersis mortalibus accumulare consueuit, vltimæ suæ migrationi. Hinc profluxit ex ore Præsulis Pij, religiosa admodum, & plusquam Eiaculatoria ad DEVM Præpotentem, eiusque Matrem Sanctissimam, tum Diuos Patronos, humillima Supplicatio; quam Testamento suo inseruit sub tali serie.

O DEVS Author & Creator meus, non iam Tibi in venustate eâ, quam Tu mihi Potens & Bonus, ab initio tradidisti, animam meam reddo: attamen vi Sacramentorum Ecclesiæ Tuæ Tua venia mundandam (siquidem per conditionem humanæ imbecillitatis perfectâ Pœnitentiâ expiatam facere non potui) Tua miseratione purgandam trado, reddo, commendo. Sis illi Hereditas in æternum. O Mater Dei Domina mea, Te in singularem vitæ Statusq́ mei Patronam elegi: sis benigna, sis propitia, Tuum mihi Filium ad veniam per vbera Tua redde facilem, Dominum meum: præsertim in abolendis toto Sacerdotij & Curæ Pastoralis meæ tempore, commissis aut omissis culpis, negligentijsq́ meis & defectibus. Tu Fidei, Spei, Charitatis lucerna, per caliginem & tenebras Mortis, ad antilimen Æternitatis locum expiationis eunti adsis, & me ad Deum meum, Lucem inaccessibilem siste. Vos quoque Sanctissimi Tutelares mei: Ioannes Baptista, Petre, Paule, Andrea, Ioseph, Laurenti, Adalberte, Stanislae, Casimire, Carole, Hiacynthe; Sanctæq́ Dei, Barbara, Catherina, Luduina, Margareta, Vrsula, Teressia, adeste: & Iudicis tremendi Sententiam vestris suffragiis præuenite, iram placate, remissionem peccatorum, & Misericordiam Diuinam impetrate. Tu S. Michael Archangele, SS. Trinitatis Minister, in nouissimo die Animam meam obuius excipias, & eam in locum refrigerij, in regionem Lucis, Pacis, & Quietis sempiternæ perducas. Tu quoq́ Angele Dei, Custos vitæ, actionumq́ mearum Comes fidelissimè, adsis mihi: vt si quid de vitæ præsentis stadio mihi supererit, Te Duce & Defensore, cum totius Hierarchiæ Cœlestis patrocinio illud feliciter expediam, atq́ ad brauium Beatitudinis, nunquam intermorituræ, Vobis Comitibus perueniam.

Tali dispositione, Animæque & Corporis resignatione factâ; sustinuit Præsul Optimus, toto biennio per oras varias voluntarium exilium: etiam in alienis domicilijs residens, Regem, Rempub. insignibus confirmans præsidijs, cupiens optimè ad extremum vsque Spiritum, Religioni, Regi, Regno, & Patriæ afflictissimæ non in vita modò, sed & post fata famulari.

Ingrauescente porro ætate senili, Septuagesimum secundum agens vitæ suæ annum; prudentissimè profectò ac tempestiuè, memor resolutionis vltimæ, vasa sua collegit, Tabulasq; extremæ voluntatis dispositissimè conscripsit, ne quidpiam in procinctu beatitudinis existentem animam, à desiderio dissolutionis ac Æternitatis remoretur aut præpediat. Quare ad vocem venturi Iudicis, quæ vniuersos diei & horæ nouissimarum incertos, de

statu

ſtatu animarum ſolicitos ac vigiles eſſe iubet, Præſul paratiſsimus attendens; quomodo formauerit contextum ſuarum Tabularum! congruum eſſet vnicuiq; mortem meditanti excerpere : quandoquidem operoſum videretur , ſingularia pneumatica dicta , inter Lemniſcos ſepulchrales affigere. Illud tamen præterire nefas eſſet, imitandum omnibus Chriſtianis deprecationis punctum? *Si quem verbo, facto, caſu, vel inaduertentia offenderim; ſi quid noxæ, iniuriæ, vel mali officij, in quempiam à me profectum aliquando fuerit; gratiam & veniam per Authorem Gratiæ & Veniæ DEVM Crucifixum obnixe peto: quibus viciſſim omnium in me offenſam ſincere dimitto.* & infra; *Parcite eius Manibus, qui de vobis omnibus bene mereri cupiebat.*

Adeſte nunc vniuerſi adeſte; & Præſulem optimum demiramini; vos præcipuè adeſte; qui aut authoritatem, aut iurisdictionem, aut ſeueritatem, ſine quà Iudex eſſe non poteſt; aut deniq; monita eius paterna, contempſiſtis: req; ponderata diligenter diſcite mori, atq; ad portum æternitatis vela ſua non abſimili ratione diſponite. Ferreus profecto eſſet rabiemq; ferinam indutus homo ? qui veniam expoſcentem Magnum Præſulem aſpernaretur. Aſt circumſpectam diſpoſitionem claudens GEMBICIVS, noluit immemor eſſe Beneficentiſsimi Regis VLADISLAI IV. cui diem Anniuerſariam copioſo ære aſsignato, in Cathedrali Eccleſia cenſuit perenniter ſtatuendam; ne Rex pro Fide Orthodoxâ inſigniter deſudans, craſsâ obliuione iaceret ſepultus. Neq; immemor Capitulorum Ampliſsimorum, quibus annuos reditus aſsignauit, vt vitâ functus memoriam ſui, Gneſnæ, Cracouiæ, Premyſliæ, alijſq; in locis pijs, refricaret, atq; renouaret. Non oblitus Eccleſiarum iurisdictioni Epiſcopali ſubiectarum; pariter Religionum, Monialium, Xenodochiorum, Virginum pauperum ac Viduarum, Captiuorum in ſeruitute Turcicâ gementium; Conſanguineorum, Domeſticorum, Famulorum, deniq; ſubditorum omnium, vt vnusquiſq; Patris benefici recoleret ſæpius gratus recordationem. Taceo ea, quæ inſigni Liberalitate PETRI GEMBICII, etiam poſt fata eius nitebunt, admirandamq; munificentiam Præſulis ac Senatoris Ampliſsimi deprædicabunt. Vltimam tandem claudens vitæ ſuæ diem, PETRVS GEMBICKI Cracouienſis Epiſcopus extinctus eſt, Luci æternæ inſerendus; die 14. Iulij, ante meridiem occaſum ſuum ſalutans, magno cum dolore totius Curiæ Epiſcopalis, Ratiboriæ ob hoſticos motus conſiſtens. Dies hæc Sacræ Virgini dicata fuit, in peruigilio Feſti Diuiſionis Apoſtolorum, quâ Corpus & Anima PETRI GEMBICII, ſortita ſunt diuiſionem extremam, Corpus Cineribus pijs relinquens; Animam verò Redemptori & Seruatori ſuo inter lachrymas recommendans, vt cæleſtibus gratijs ex Diuina miſericordia æternùm perfruatur. Promeruit id ipſum Virtutibus præclaris Præſul deuotiſsim⁹, maximè admiranda illa Pietate, quâ obarmatus frequētiſsimè ad tremendum Miſſæ Sacrificium accedens, PETRVM pænitentem

 tentem

tentem effundens lachrymas repræsentabat. Promeruit Fide & Constantiâ; pro Ecclesia Dei, Regumq; Maiestate, à teneris ad senectam vsq; desudans. Promeruit Fortitudine, Zelo, Magnanimitate, tam in casibus patriæ ferendis, quàm in iuribus Religionis vindicandis. Promeruit Liberalitate, planeq; paternâ Munificentia; quam Religiosis testatus est; præcipue Ordini Sacro Carmelitarum Discalceatorum, alijsq; inopibus ac egenis. Ipsa hereditas DIVI IOANNIS Cantij intonabit sæpius Benefactorem singularem diuturnisq; Elogiorum Lemniscis certabit. Promeruit deniq; Temperantiâ, Iustitiâ, Vitæ integritate, Probitate, alijsq; animi Heroici dotibus Optimus Senator & Antistes; vt posteritas GEMBICIANA, ex eius Virtutibus nobilissimis, normam ac regulam assumat sibi ad benè beateq; viuendum. Quocirca PETRVS GEMBICIVS, licet extinctus sit, non tamen in pectoribus optimorum quorumuis extinguetur; nullis temporum consequentium nubibus obscurabitur; nulla obliuionis limâ obliterabitur; nulla fatali rerum humanarum periodo claudetur; nullis inuidiæ stimulis à dulci recordatione clientum exterminabitur; sed splendescentibus Lemniscis Virtutum, in Beatissima Immensissimæ Maiestatis luce, perenniter insertus manebit. Iam ergo dolori Vestro terminum asignate Inclytæ stirpis GEMBICIANÆ Sidera! immò fertè citi vota, accendite sacros ignes, date preces, suffragamini animæ Fratris, Patrui, Benefactoris desideratissimi: quùm soleat ad illã Lucẽ æternæ felicitatis præoccupari transitus morâ diuturna; donec ad minimum obellũ fuerit persolutum. Quanquam alta spe concipiendum est Animam eius, ante conspectum Dei Omnipotentis stetisse illo momento, quo à corporalibus exuuijs recessit, properans ad Fontem Misericordiarum degustandum. Quamobrem Cœlestibus incolis adnumeratus, tabulisque Maiorum suorum, Auorum, Parentum, Fratrum, Amicorum inscriptus, singulariter Fratribus Carissimis, STEPHANO Palatino Lanciciensi; ANDREÆ Episcopo Luceoriensi DOBROGOSTIO Capitaneo Stauisinẽsi; & Desideratissimo Nepoti LAVRENTIO Miechouiensi Præposito, adiunctus; gratam sibi testatur Vestram ô Fratres, Nepotesque amantissimi, extremi obsequij testificationem; & iam in illo æterno recessu constitutus Præsul Illustrissimus, Regni huius Ordinis vtriusque Primoribus vniuersis, totique Clero; præcipuè Illustrissimo STEPHANO KORYCINSKI Regni Cancellario; Magnifico HIERONYMO GRABINSKI Castellano Siradiensi; Mæstissimisque Neptibus *Petronellæ*, *Dorotheæ*, *Mariannæ*; ad extremùm Nepotibus, Pronepotibus, tùm vniuersis Amicis in vitâ fidissimis, vltimum æternumque VALETE apprecatur.

Magnifici REGTORIS *Permissu.*